



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 23. Et Iudas Iscariothes vnus de duodecim. v. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

fides bona malis operibus inhonoretur, ne te vita mea impura abnegare videar, quem fide vera confiteor, nihil quod falsum ac vanum sit cogitem vel eloquar, utque te vnum timeam, amem, colam, & tua præcepta obtemperem.

§. 22. Et quod fecit hac narrabitur in memoriam eius. v. 9.

Altera Prophetia Christi est, quod sicut Euangelium & passio ipsa prædicabitur in vniuerso mundo, ita Magdalena beneficium Christo præditum sit toto orbe laudandum, contra istum murmuratorem & furentem, ut sic mulier illa deuota, passa calumniam in priuato recipiat gloriam in toto orbe de obsequio quod Domino exhibuit; ille autem, qui obsequio eius detrahere non timuit æquè longe lateque infamaretur: Ecce anima mea Religionis veræ & sinceræ efficaciam, cuius vi mulier illa in benedictione est: Ecce quam bonum seruire Deo, illum colere etiam externis ceremonijs, & non solo spiritu ut volunt hæretici, quid enim Reges ultra querunt, quam memoriam præclare benefactorum & ut viuat eorum posteritæ virtus: Ecce Regū votum è paruo opere Christus Mulieri piæ promittit post funera, nempe toto orbe virtutum suarum prædicationem: nec in vna parte mundi, sed in toto orbis circuitu: Imitare Mulierem hanc Christiane qui virtutum tuarum præconium apud Deum & homines esse desideras.

Domine nimis, siue valde valde honorati sunt amici tui Deus, non solum in cælis, sed etiam in terris quis enim potentium huius mundi Cæsarum, Regum, Tyrannorum potuit obtinere eam gloriam, quam peccator Petrus, Ioannes &c. obtinuerunt, desipit certe qui gloriam alibi quam in tuo seruitio solidam veramque inquit. Et ego igitur me factis dedam seruitijs tuis, ut in æternum gloriosus sim apud te, etiam si in terra contemnar in terris.

§. 23. Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim. v. 10.

Describit hic Euangelista Iudam nomine proprio & agnomine vocando Iscarioten ad distinctionem Iudæ Thadæi consobrini Christi, quippe ex Iscarioth vico Samariæ oriundus fuit, addit quod fuerit vnus de duodecim Apostolis electis specialiter à Christo ad Euangelium prædicandum toti mundi, & hoc in aggrauationem peccati illius & ingratitude, iuxta psalmistam dicentem: *Qui mecum dulces capiebas cibos in domo Dei ambulauimus cum consensu: & pro eo ut me diligerent detrahebant mihi: & posuerunt iugum meum mala pro bonis, & odium pro dilectione mea: Exeat ergo condemnatus à cælo.*

à consortio Christi, à societate discipulorum eius, à mensa Christi quia diabolus stat à dextris eius, fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter, quoniam dilexit maledictionem & euenit illi & noluit benedictionem & elongata est ab eo, quando à vero Pontifice animarum iuit ad Pontifices Iudæorum.

Iesu bone Domine, unde tanta maledictio? anne tecum quis existens perire potest, qui dixisti per Prophetam: *Cum sancto sanctus eris, & cum electo electus eris: & cum perverso peruerteris?* Sed agnosco sententiæ huius vim non necessitatem interre sed quid humanitus fieri solear & sit prouum docere. non enim profuit misero huic sanctissimum Christi Collegium. annon enim hic Iudas electus à te cum cæteris Apostolis tuis? annon cum Sanctis conuersatus est? & quidem tecum quo nil sanctius, nil perfectius nihil omnino Quomodo igitur peruersus est? quomodo pergit? & recessit à te & sancta tua societate? *noluit intelligere ut bene ageret, vidit bona exempla, audiuit pijs adhortationes, promissiones amplissimas regni cælorum, hæc floccipendens iniquitatē meditatus est in cubili suo, astitit omni via nec bona sic perijt, sic induit maledictionem sicut vestimentum.* O te miserimum Iudam, melius tibi fuisset si natus non fuisses: aut non inter sanctos Apostolos connumeratus esses. Deus adiuua me miserum peccatorem, licet indignum me fatear tua facie ob multitudinem iniquitatis meæ, nec sinas me perueri aut perire, aut separari ab electis & sanctis tuis.

§. 24. *Abijt ad summos Sacerdotes. v. 10.*

Abijt à Christo ad summos Sacerdotes, non vocatus, non citatus, sciens congregatos in domo Caiphæ contra Christum Dominū eo quod oderant eum, sicut & ipse Iudas, modum captiuitatis & executionis propalaturus, ut captaret eorum beneuolentiam nummos lucraretur, ad honores promoueretur, & dignitates. Sic omnes auari & ambitiosi, modo lucrentur, perueniantque ad intentum siue honores siue diuitias abeunt à Deo ad diabolum, à Creatore ad Creaturam, emunt, vendunt produnt sine respectu Dei, honoris, & conscientia, Miserum genus hominum; quilibus fluctibus iactaris! quantis ventis!

O bone Iesu quam sæpe recessi à te? abijt à te? abscondi me à te? ut non curretem viam mandatorum tuorum, sed magis irem contra te, ad consilia impiorum, confortia iniquorum, in quibus te prodidi, vendidi, etiam sæpe pro nihilo propalaturus nequitas animæ meæ contra te. Heu abijt cum Iuda, redeo cum prodigo, tu me suscipe Pater amantissime!

§. 25. *Ut proderet eum illis. v. 10.*

Ecce exitus, secessus à Christo & Sancta Apostolorum Societate, prodi-